



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Vitæ S. Ferdinandi, Regis Castellæ Et Legionis, Ejus
Nominis Tertii**

Papebrochius, Daniel

Antverpiæ, 1684

Lectori.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42333

LECTORI.

Sicutus Roderici Toletani irrefragabilem (ut mihi videtur) auctoritatem insuper habui quamcumque aliam recentiorum scriptorum Chronogiam, & dixi in Comm. prævio num. 14 Alphonsum Legionensem regnare cœpisse anno MCLXXX. Ait enim Rodericus praefatus lib. 7 cap. 23, quod Pater ejus Rex Fernandus, annis triginta uno in regno conluminatis, obiit Beneventi æra millesima ducentesima [decima] octava: ubi typographicis phalmate omisso denarium recte suppleri, tota ejus præcedens historia loquitur. Deinde subjungit cap. 24, Mortuo Rege Fernando succedit ei ejus filius Aldefonsus. Hie . . . à contubrino suo Aldefonso Rege Castellæ, & Sancio Rege Portugallia infestatus circa principium regni sui venit ad Regem Castellæ & in Curia Ca-
tionis accinctus ab eo cingulo militari, manum ejus fuit in plena Curia osculatus: & in eadem Curia Rex Castellæ Nobilis Alde-
fonsus Conradum, filium Frederici Imperatoris Romani, accin-
xit similiter cingulo militari, & ei filiam suam primogenitam Berengariam desponsavit. Sed ipso Conrado in Teutoniā re-
vertente, prædicta Domicelia desponsationi continuo contradixit, & per Gundisalvum Toletanum Primatem & Gregorium Cardinalem Apostolice Sedis Legatum divortio celebrato, puer-
la Berengaria mansit innupta. Hu ita positis, censi initiationem il-
lam utriusq; Principis, per Alphonsum Castellanū factam fuisse circa prin-
cipium regni ab Alfonso Legionensi initi, interunctionem, à hypotheticis
omissam in meo Francofurtensi exemplari, ponendo ante prædicta verba,
Circa principium regni sui, eaque conjungendo cum verbis Venit ad
Regem Castellæ; adeoque initiationem jam dictam non posse differri
ultra annum MCLXXXV. Desponsationem quoque & absolutionem Beren-
gariae nullo notabili temporis intervallo discernens, propter additam vocu-
lam continuo; judicavi consequens fore, ut eam etatem tunc habens
illa, qua posset etiam invito patre desponsationi sua ante consummatum
matrimonium contradicere; nata fuerit circa annum MCLXXIII, proinde
tanto senior sorore sua Blanca, at summum nata circa annum MCXC, ut
potuisset mater ejus fuisse.

Verum ea omnia nunc conferens cum post repertis apud Garibayum
lib. 12 cap. 14 instrumentis duobus Alphoni Castellani, prædicta initiationis
desponsationisque mentionem facientibus, agnovi primo, memoratum
locum sic esse interpongendum, ut intelligatur Alfonsus Legionensis,
à Regibus Castellæ & Portugallia armis infestatus circa principium
regni sui: rebus autem paulatim compositis, cum jam pacifice absolute-
que regnaret, venisse ad Regem Castellæ cinguli militaris causa, nec

APPENDIX AD ACTA

nisi octavo anno Regni, cum jam etatis annum **xxii** transcendisset. Et enim dictorum Privilegiorum primum, datum Dominico Abbati S. Marie de Balvanera, signat Rex Era **MCCXXVII** (qui est annus Christi **MCLXXXIX**) **vii** Idus Maji, anno secundo postquam D. Alfonso Rex Legionensis, Eques ab ipso creatus, manus ejusdem osculatus est; quando etiam paucis diebus post, Equitem armari Conradum, filium Imperatoris, eique uxorem junxit Infantissam, filiam suam Berengariam. Alterum idem Rex signasse dicitur in favorem Abbatis & monasterii S. Dominic de Silos, Idibus Octobris Bera **MCCXXVIII**, anno tertio postquam D. Alfonso &c. ut supie. Utinam hec propriis Latinis verbis dedisset nobis Garibayus: magni namque momenti sunt. Quippe non solum ex iis sequitur id quod jam dixi definitum desponsationis prætaxata tempus; quod antea nefireram certo definire; sed etiam secundo loco probant, Conradum Frederici filium (quem cum prius genito Friderico, paulo post patrem in Syria mortuo, ad annum **Mxc** perperam confudit Baronius; cum fuerit solus tertio genitus, teste Otthonie à S. Blasio, Otthonis Frisingensis Continatore, tunc vivente & scribente) probant, inquam, Conradum, non statim à suscepto cingulo militari redivisse in Teutoniam; sed ferme tribu adhuc annis mansisse in Hispania, sub Rege sociro accepta ab eo armis tractantem in honoraria contra Saracenos militia; post quos deniq; ipso in Teutoniam revertente, desponsationi continuo contradixit Berengaria, tunc primum forsitan matura viro, & efficaciter intradicere priori pactioni idonea; atque adeo ut summum nata anno **MCLXXXII** vel **VIII**; aut forsitan etiam **MCLXXXI**, sicut scribit Roderic Mendez de Silva in Catalogo Regio ac Genealogico, certiore obstante assensum, si sui afferri vetus aliquod testimonium adduceret, non erraret etiam in S. Ferdinando, faciens eum nasci an. Dom. **MCCI**. Quae enim ratio non consummandi continuo matrimonii, unde pendebat successio in regnum Castelle, cuius heres bis jam fuerat publico testis Regni juramento agnita Berengaria, antequam Rex haberet filium, nisi immatura etas sponsæ?

Certe, si ante predicta Privilegia condita celebratum divorvum fuisse, non potuisset Alfonso desponsata filio Imperatoris Infantissam sua in subscriptionibus meminisse, tamquam rei per quam honorifica, sicut fecisse eum appetet: post illa autem primum habuit Conradus justam revertendi in Teutonium causam. Nuntiata siquidem tunc morte patris ac fratri primogeniti in Syria obita anno **MCLXXX**, & secundogeniti electione ad patris Regnum & Imperium, intelligebat in se residere Ducatum Sueviæ, quem pater fratresque duo possederant prius quam altius eveharentur. Altera, nec minus justa, & tempore prior, sed sola non sufficiens causa recedendi ab Hispania erat; quod secundo anno post

S. FERDINANDI REGIS.

contracta sponsalia circiter dimidio, videlicet millesimo centesimo octogesimo nono, ad tertium Kalendas Decembris die Mercurii natus fuerit Alfonso filius Ferdinandus, prout constare (utique ex authenticiis documentis) ait Mariana lib. 11 cap. 17, qui etiam egregie adolevit, eoque majori patris dolore totiusque provinciae luctu obiit anno MCCCXI. Evanuerat igitur jam Conrado, vel saltē valde extenuata erat spes cessura sibi aliquando cum Berengaria Castella: nequum tamen proprium ullum statum habens aut sperans alibi, merito adhuc remanebat in Hispania, qualemcumque spem Regni dotalitii fovens, aut saltē notabilis in eodem incrementi tali conjugio mediante. Sed ubi mortuis ut dixi Fredericis patre ac fratre, & altero fratre electo in Regem, nova & propior spes ex Germania affulsa, merito voluit in Teutoniam reverti, eodem etiam addictam sibi uxorem invitans. Sed hac eaque merito recusavit exire Regno, redituro ad se, si quid puerō contingeret (sicur conigerat priori Sancio, eo quod infans obierit vix auctoribus nota) praesertim cum non deessent in vicinia Principes, quibus nubere posset, Conrado potentiores.

Fieri etiam potuit, ut ob expectationem nascituri ex pregnante iterum Regina masculi, tam pater quam filia, licet fortassis matura viro, distulerint consummationem jam promisi vel etiam contracti matrimonii, frustra eam solicitante Conrado; quem facile apparebat, nato jam herede non remansurum in Hispania, si Frederici patris suscepta in Syriam expeditio, cuius multa fama & expectatio erat, nova ei regna dominiaque acquireret quae partiretur in filios. Ergo regressus Courradi potest in annum MCXCII differri, dicique Berengaria tunc egisse etatis annum XV vel amplius. Si tamen aliunde probaretur, eam revera, ut ait Genealogicus pronominatus, vivere primum cœpisse anno MCCLXXXI (quo posito illa solum fuisse decennis, quando recusavit sponsum sequi & solvi petiti) tamen, secundum argumenta ex Garibayo contra Garibayum, parum sui memorem deducta, maneret illa primogenita liberorum Alphonsi. Quando enim inter ipsum & Eleonoram Anglicam matrimonium coailuit anno MCCLXX, ille solummodo quindennis erat, & haec haud paulo forte junior; ob quam etatis utrimque teneritudinem partim dilata fuerit matrimonii consummatio, partim suscepit tardius liberis, sicuti horum uni Blancæ (qua tredecenni juveni nupsit virguncula, annos solum octo vel novem forsan nata) utramque vel saltē alterutra ex causa sci-mu accidisse, ut non nisi non sui matrimonii anno filios pareret. Quantumcumque vero sero nasci Berengariam facias; semper manebit, eam viro despontam fuisse, aliquam multis annis prius quam nasceretur Blanca, ita ut bac fortassis etiam ejus filia esse potuisset: quod erat primarium nostrum assumptum. Quo anno mortuus fuerit Ferdinandus Legionensis eique filius Alfonius successerit, jam porro ad nostram

que-

A P P E N D I X.

questionem non facit: non video tamen, quomodo usque ad annum M.
LXXXVIII differri ea successio posse. Quis enim credat gener san
juvenem, eodem anno, id est regni primo, quo constat eum armis insi
statum ab Alfonso Castellano, etiam manus ejus fuisse oscularum,
Equestrem ordinem ab ea suscipientem.

Ceterum novam istam lucem, pro sententia nostra confirmanda &
chronologia ordinanda nactus, quedam consequenter mutanda habeo
in jam editis, quod præmonitum Lectorem volui, etiam prius quam sus
cipiatur impreßio altera. Ne vero eumdem ejusdem offendat, quod Altoni
Sapientis Hymnos pag. 321 conscriptos dixerim veteri Castellano
Rythmo, mallem in titulo quidem Parergi iſtius Callaico legi vel
Gallæco, in contextu autem lin. 12 post hæc verba, Undennis puer,
mutari quædam in hunc sensum.

Describit autem veteri Rythmo, non Castellano, sed Callaico sive Gal
laco: cuius rei ratio videatur reddi posse, quod pubertatis annos ingressi
Princeps, & majorem quam pro atate sapientiam præferens, scilicet in
partem regiarum curarum cito accitus, atque post mortem matris & se
cundas patris sui nuptias missus Legionem vel in Galliciam, simili &
regnandi peritiam ipso exercitio acquisitus, & extremas illas actiones
jam Imperii provincias, in oppositis plane finibus ut plurimum occupas
patre, præsentia sua conservaturus in officio. Certe non ante atatis
num xx1, & quidem postea non nisi bis, fuisse illum in Batica legimus
priusquam Rex fieret; unde intelligitur alibi ut plurimum degisse quod
pater vixit, præsertim in sua juventute: ubi autem potius, quam in
Galicia præcipua Legionensis regni parte, unde pater & avia longius ab
erant? ibi ergo Callaicum idioma, dialecto valde diversum à Castellano,
non solum didicerit, sed etiam sic adamari, ut scribendis eo ybitur
delectaretur. Horum autem volumen, tamquam primum sui ingenii fa
tum, carum habens, etiam cum iam Rex mortuo Patre Hispani sedem
haberet; ipsum per extrema sua voluntatis testamentarias tabulas, ana
cum corpore legasse dicitur Hispalensi Ecclesia. Fuit namque, ut re
statur Zuniga, in illius archivo servatus liber, quo ad usque Philippus
II, gloriae memoria Monarcha, adificato Seviacensi Palatio, ad
etiam ibidem Bibliothecam transferri Regium istum codicem jussit: ex quo
transcriptum à Zuniga poëma juvat hic recudere, addita columnatim
nostra interpretatione Latina &c.

Denique (ne agnitorum mendorum disimularem quidquam, ceteris for
jam manu calamoque correctis) etiam pag. 13 lin. 8 à fine, pro eo quod
indistincte nunc legitur tot annis, scribe, pet annos quinque & vi
ginata: & pag. 11 lin. 4 & 5, exclusis ex præmortuo fratre Alphon
so & Blanca Francica nepotibus; lege Ferdinando & Blanca, stat
legendum esse patet ex pleniori contextu ejusdem rei pag. 9 num. 13.

HISTO.